

congrua intentio, quia, ut in exemplis supra allatis vidimus, non est inconueniens quod ut ostendatur alicujus medicamenti virtus, aut ad alicujus particularis rei manifestationem permittatur aliquod malum, verbi gratia, vulnus vel infirmitas, etc. sicut etiam propheta quidam in Reg. xx, dixit ad alium ut percuteret eum, ut illa percussione vivacius regi Israel manifestaret vim divini iudicii. Ergo similiter potest permittere Deus vulnus animæ, ut manifestetur excellentia contritionis et pœnitentiæ. Neque ob hoc tenetur velle ipsum peccatum, sed permittere, tum quia peccatum non est capax volitionis, sed permissionis, nec peccatum dependet ab influxu, sed a suspensione influxus Dei; tum quia peccatum est causa per accidens respectu pœnitentiæ, et se habet ut materia destruenda per pœnitentiam, et respectu talis causæ per accidens sufficit permissio: nec enim requiritur ut materia destruenda sit per se volita, sicut qui vult generationem, non est necesse quod per se velit corruptionem, aut effectum malum, sed sufficit quod permittat, ut statim amplius dicetur.

XXI. Et ex hoc sumi potest intelligentia pro materia de incarnatione, quomodo Christus ex vi præsentis decreti non veniret, nisi existente peccato, eo quod decretatus est ut redemptor, redemptio autem præsupponit peccatum, non ut medium, sed ut materiam redemptionis, et remedii præsuppositam. Et quidam dicunt, quod peccatum debet præsupponi prævium, et antecedens ad ipsum decretum incarnationis; alii vero quod prius intelligitur Christus ut decretatus, deinde vero permissio peccati, ut medium ad talem incarnationem Christi ut redemptoris intelligitur decerni, eo quod Christus prædestinatus est

finis omnium; et sic antecedit electionem mediorum. Nec tamen veniret Christus si non esset peccatum, sicut neque finis de facto executioni mandatur sine tali determinato medio. Et primi auctores considerant Christum prædestinatum esse ut redemptorem in exercitio redemptem, et salvantem populum suum, et sub motivo remedii peccati. Hoc autem essentialiter supponit peccatum in re, et consequenter permissionem ejus, et sic in tali consideratione non potest permissio illa derivari, et esse effectus decreti incarnationis, sed præcedere, quia remedium supponit malum, et miseriam super quam cadat. Alii vero considerant in Christo etiam redemptore excellentiam, et perfectionem, quam habet ut finis omnium creaturarum; et sic intendens Deus manifestare divitias gloriæ suæ in Christo ut redemptore, prius decrevit illum ut finem, etiam in ratione redemptoris, et quia virtus, et excellentia redemptoris ostendi non potest, nisi posito peccato, permissio ejus electa fuit a Deo ut medium et consequenter fuit effectus decreti incarnationis Christi. Sed de hoc latius in p. qu. 1, art. III.

XXII. Fundamenta oppositæ sententiæ a principio hujus dubii posita non urgent. Etsi enim intercedat differentia illa inter pœnitentiam ex una parte, et humilitatem aut patientiam ex alia, tamen etiam pœnitentia potest intendi, et esse volita directe sine hoc quod sit volitum peccatum, sed solum permissum, eo quod peccatum cum sit malum, nec per positivum influxum, sed per carentiam auxilii resultet, non exigit ad sui positionem voluntatem, et amorem Dei, sed permissionem erga ipsum, quia talis est ejus quidditas, ut ex voluntate Dei denegante concursus, non influente dependeat. Et tamen si pœnitentia ipsa

sit volita tamquam remedium in exercitio, fatemur debere supponi peccatum, et permissionem ejus antecedenter, neque tunc esse effectum illius: secus vero si pœnitentia sit volita ut ostendatur ejus excellentia, et perfectio, ut explicatum est, qui modus intendendi pœnitentiam maxime pertinet ad Deum, quia est universalis provisor omnium, et unicuique rei debet providere locum in universo, et ejus perfectionem intendere, etiam pœnitentiæ; de quo amplius dicetur in solutione argumentorum.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIII. Contra principalem conclusionem arguitur primo ex fundamento Vasquez, quod aliqui valde in hac parte magnificant ad probandum permissionem peccati de facto non esse effectum prædestinationis, nec ex voluntate dandi beatitudinem posse oriri. Nam permissio peccati, seu carentia gratiæ vel amatur a Deo, et est effectus prædestinationis tamquam utilis immediate et per se, vel mediate et per aliud. Primum esse non potest, quia cum permissio in se, et immediate sit privatio gratiæ, eique opposita, non potest per se esse utilis, et conducens ad gloriam, atque adeo nec ad ipsam ordinari: si enim gratia per se, et essentialiter ordinatur ad gloriam, quomodo ejus carentia potest etiam ordinari, et conducere per se ad gloriam. Si dicatur secundum, talis permissio non potest esse utilis ad gloriam per aliud medium, nisi includendo affectum, et amorem ad ipsum peccatum, hoc est impossibile in Deo: ergo etiam est impossibile quod permissio peccati sit effectus prædestinationis. Antecedens probatur, quia si aliud quod medium datur, ratione cujus

permissio peccati sit eligibilis, maxime pœnitentia, vel humilitas prædestinati, ut scilicet agnoscens peccatum suum convertatur, et humilietur, ut docet D. Thomas primæ secundæ citato loco. Neutrum autem deservit. Non pœnitentia, quia hæc essentialiter respicit peccatum ut peccatum, non vero permissionem ipsam, seu carentiam auxilii: nec enim carentia illa utilis est, aut conducens ad pœnitentiam, nisi ratione ipsius peccati: ergo si intuitu pœnitentiæ amatur permissio, multo magis peccatum: hoc enim per se respicit pœnitentia ut expiandum et ut materiam sui, non permissionem: nec enim permissio expiatur, sed peccatum. Non ergo potest amari permissio, nisi ut conjuncta peccato, et illativa peccati, si amatur intuitu pœnitentiæ. Adde, quod hæc ratione pœnitentia semper est de secundaria intentione Dei, sicut et punitio, ut docet Damascenus libro II de fide, c. xxix, eo quod supponit aliquid prius jam prævisum, et permissum, scilicet peccatum, super quod cadit pœnitentia ut expiatio, et remedium illius: ergo illa permissio non potest esse effectus pœnitentiæ, si quidem antecedit illam. Nec etiam humilitas potest esse ratio ob quam ametur illa permissio, quia in tantum conducit permissio peccati, seu carentia gratiæ ad humilitatem, in quantum ex illa privatione cognoscit quis infirmitatem suam, et defectum virium et sic humiliatur coram Deo; sed non potest in hac vita cognosci ista infirmitas, et derelictio Dei, nisi per effectum subsecutum, qui est peccatum, quia quamdiu non peccat, quantumvis gravissimis tentationibus urgeatur quis, non caret auxilio, imo si resistit, signum est majorem accepisse gratiam, si vero non resistit, jam peccat: ergo non nisi per peccatum cognoscitur illa

fragilitas, et fit in nobis humilitas. Non ergo respicit permissionem per se, sed ratione peccati adjuncti; et sic idem est ac de pœnitentia.

XXIV. Confirmatur, quia substractio gratiæ, seu permissio non est beneficium Dei, neque per Christum, sed potius beneficii denegatio, nec nos possumus illam petere a Deo: ergo non esse effectus beatitudinis, neque conducens ad gloriam, quidquid enim ad gloriam conducit, non possumus a Deo petere; similiter neque est effectus prædestinationis: prædestinatio enim est beneficiorum Dei præparatio, ut dicit Augustinus; ergo omnis effectus ejus est beneficium Dei, quia omnis effectus est præparatus a Deo: ergo si hæc permissio non est beneficium Dei, sed potius beneficii denegatio, non est effectus prædestinationis. Et saltem constat majus esse beneficium ipsam gratiam quam negationem ejus: ergo hæc negatio nunquam potest esse gratia, et beneficium ipsi homini: quomodo enim fit ei beneficium, et gratia, tollendo id quod est majus beneficium? Si autem non est gratia, nec beneficium, non est effectus prædestinationis, quæ solum est gratiæ præparatio.

Respondetur verissimum esse quod permissio peccati ex se, et ab intrinseco, et ex propriis meritis non est conducens ad gloriam, neque effectus prædestinationis, sicut nec multæ res naturalis ordinis conducunt per se, et ex propriis meritis ad beatitudinem, sed solum extrinsece, et sub extrinseca habitudine effectus prædestinationis sunt. Concedimus autem quod permissio peccati sub respectu ad pœnitentiam vel humilitatem, ordinatur ex misericordia divina ad bonum ipsius prædestinati, ut concedit D. Thomas citato loco ex prima secundæ. Et ad instantiam circa

ipsam pœnitentiam, dicimus quod Deus volens, et intendens pœnitentiam non tenetur velle, sed permittere peccatum, quia peccatum non est capax nisi permissionis ex parte malitiæ, et volitionis, seu influentiæ ex parte entitatis. Unde licet ad pœnitentiam requiratur tamquam essentialiter præsuppositum ipsum peccatum, tamen qui vult illam pœnitentiam, non tenetur velle de illo requisito, nisi id cujus est capax, et eo modo quo est capax, et quo posito infallibiliter sequitur peccatum. Ad hoc autem sufficit permissio illius malitiæ, quia posita permissione ponetur, nec alio modo ponetur nisi per permissionem, nec est capax ut alio modo ponatur: sicut si Deus vult reproductionem alicujus Angeli, non tenetur velle ipsum nihil in quod per annihilationem decidit, sed sufficit velle sui concursus suspensionem qua posita decidet in nihilum, quia non alio modo est capax fieri annihilatio, et hoc sufficit ad volendum illam reproductionem, quæ necessario supponit annihilationem. Vel secundo dicitur, quod licet pœnitentia prærequirat peccatum in ratione peccati, et mali, non tamen requirit illud essentialiter ut constitutum sui, sed ut materiam destruendam, et terminum a quo relinquendum. Quod autem requiritur ex parte termini a quo in aliquo motu, licet essentialiter præsuppositive requiratur, non tamen per se intenditur, et amatur ab intendente motum, quia intentio solum fertur ad id quod se tenet ex parte termini ad quem, in hoc enim tenditur per se loquendo: de termino autem a quo, intentio non curat tamquam de se intenta, sed ut de re præsupposita ad relinquendum, non ad constituendum. Sufficit ergo permittere id quod ex parte termini a quo præsupponitur, et non est ne-

cesse illud intendere, quia non omne essentialiter requisitum ad aliquid, est capax ut intendatur, et per se ametur, sed sufficit quod permittatur: quod enim requiritur essentialiter ut constitutum ejus, vel ut positivum manens in ipso ex parte termini ad quem, non ut relinquendum ex parte termini a quo, bene stat quod ametur, secus vero si non sic se habeat. Et sic licet in generatione naturali concurrant essentialiter tria principia, forma, materia, et privatio; tamen privatio non per se intenditur, et amatur, sed solum compositum ex forma, et materia. Et qui vult aliquam rem, non semper vult conditiones imperfectas ex parte materiæ consequetas necessario, sicut qui vult hominem mortalem, non vult famem, ægritudinem, et mortem necessario ex corruptibilitate secutas; qui vult ferrum ad faciendum ensem, non continuo vult ferruginem; qui vult pannum, non vult tineam; qui vult mulierem, non vult immunda, et imperfecta ejus, sed tolerat, licet hæc omnia necessario sequantur ut imperfectiones ex parte materiæ.

XXV. Instabis: Impossibile est quod intentio alicujus finis sit prosecutio; et tamen electio medii utilis, imo necessarii ad ipsum prosecutio non fit, sed tantum permissio, cum in vi illius primæ prosecutionis, hoc desideretur: sed pœnitentia intenditur a Deo prosecutive, et permissio peccati est volita ut medium utile ad talem finem, et non est utile ratione sui, sed ratione peccati secuti, quia hoc est essentialiter requisitum ad pœnitentiam: ergo etiam prosecutive est volitum ipsum peccatum in ratione malitiæ, quia sic est utile, et conducens ad pœnitentiam.

XXVI. Si dicas quod sufficit ad hoc permissio talis mali sicut mu-

lier intendens ire ad ecclesiam, ubi scit se concupiscendam ab alio, non tenetur abstinere, sed potest illam malitiam alterius permittere: hoc enim est scandalum passivum, non activum, contra enim est, quia quando aliqua actio habet ex se necessario adjunctam consecutionem peccati alterius, non potest fieri, non intento, nec volito ipso peccato, secus vero est si ex se non habeat adjunctum tale peccatum, nec ex se postulet, sed ex alterius voluntate jungatur, sicut si ista mulier in ornando, si non potest non uti, seu permittere peccatum, quia per se requiritur ad talem ornatum, tenetur ab ornatu abstinere. Pœnitentia autem ex suo intrinseco, et essentiali conceptu præsupponit peccatum: non ergo potest directe intendi, non volito peccato. Adde, quod efficaciter aliquid desiderans, non potest non efficaciter desiderare id, sine quo talis res poni non potest ab intrinseco, sive sit causa illius, sive conditio applicans, sive materia destruenda; sicut qui vult combustionem papyri cum pulvere sulphureo aut statuæ, vult applicationem ignis, et vult ipsam materiam destruendam ut papyrus, vel statuam poni ut comburatur. Ergo si vult Deus intentive pœnitentiam, vult etiam materiam ab ea destruendam, scilicet peccata, et non solum permittit.

Respondetur, quod ex intentione prosecutiva alicujus finis, sequitur prosecutio medii, juxta capacitatem, et modum talis medii, et in eo in quo per prosecutionem est volibile, non in eo quod solum est permissibile, et non volibile. Peccatum autem quoad suam malitiam non est capax poni in rerum natura per positionem divini concursus, et volitionem Dei, sed per suspensionem, et carentiam gratiæ. Non ergo volendum est peccatum pro pœniten-

tia, sed permittendum. Et hoc ideo, quia non est medium positive acquisitivum pœnitentiæ, et ductivum ad illam, nec effectus ex illa secutus, sed est aliquid præsuppositum destruendum per pœnitentiam, et ex parte termini a quo se tenens. Hoc autem non est necesse quod prosecutive a voluntate procuretur, sed solum permissive, quantum requiritur ut detur iste terminus a quo, et non amplius, quia terminus a quo per se loquendo, et in ratione termini a quo non intenditur, sed relinquitur, licet requiratur ad motum. Quod si relinquitur, sufficit permitti, non amari.

Et ad instantiam quæ adducitur de muliere ornante se, aut faciente aliquid, cui per se est annexum, aut unde per se sequitur aliquod peccatum, respondetur quod quando aliqua actio vel effectus habet annexum per se aliquod peccatum ex influentia aut conduentia ad peccatum saltem morali, vel periculo proximo in illud ex ratione sua, qui vult talem actionem, vult ex consequenti peccatum, et non se habet pure permissive, sed prosecutive erga ipsum, saltem non refugiendo peccatum, dum talem actionem vult. Si autem peccatum non est annexum alicui per se, sive per influentiam in illud, sive per conduentiam aut periculum proximum ex natura sua, non vult peccatum, etiamsi per accidens sequatur, aut ex pravitate alterius, aut ex conditione materiæ in qua operatur, sicut mulier vadens ad ecclesiam ubi ab alio concupiscitur, sicut prædicans veritatem quando tyrannus est irritandus, sicut defendens res suas, vel se cum occisione alterius, sicut audiens confessionem cum pollutione secuta sine consensu. Peccatum autem licet sit materia pœnitentiæ necessario ad illam requisita, tamen quia ex par-

te termini a quo, et materiæ destruendæ se tenet, computatur inter res non intentas ab intendente pœnitentiam, sed relictas, et permissas.

Ad id quod additur quod desiderans aliquid, etiam desiderare debet quidquid illi est annexum, licet se habeat ut materia destruenda, hoc omnino est falsum universaliter loquendo, ut supra instatum est, si id quod est annexum illi, est annexum ratione alicujus imperfectionis aut privationis non intentæ; sicut ipsamet permissio peccati est volita a Deo ex aliquo fine, etiamsi non sit ex pœnitentia, et tamen peccatum ex illa infallibiliter secutum non est volitum a Deo, licet implicet ex proprio conceptu permissionis illam poni non secuto peccato. Et Deus volens creare Angelum, vel animam, debet illam creare ex nihilo, et supponere ipsum nihil: ergo debet velle, et amare ipsum nihil. Ridicula consequentia: ergo similiter si Deus vult pœnitentiam, quæ peccatum debet destruere, et cor mundum creare, non sequitur: ergo debet velle ipsum peccatum, quod necessario requiritur ex parte termini a quo, sicut ipsum nihil ad creationem, sed sufficit quod permittat ipsum peccatum, quia peccatum se habet ut defectus a Deo, nec alio modo capax est ut ponatur; nisi per permissionem Dei, nec amplius requiritur ut sit volitum id quod ex parte termini a quo per modum privationis se habet. Verum est quod aliquando materia destruenda, et ex parte termini a quo se habens potest esse volita, et procurata prosecutive, sicut quod ignis fiat ex pulvere sulphureo, vel ex papyro, aut statua, ut exhibeat lætitiæ, et ludos, aut alium effectum. Et animal si debet generari, debet intendi ipsa seminis vel sanguinis conjunctio ex qua fit generatio. Sed hoc ideo est, quia

talis materia destruenda non se habet ut privatio, et ut pure destruendum, sed ut afferens secum materiam relinquendam in ipso genito, vel sic determinatam, et præparatam, ut ex ipsa possit fieri proxime generatio: ex sanguine enim, et semine fit generatio animalis, non ex ligno, vel lapide, et ex chartis; et pulvere sulphureo fit ignis cum strepitu, et lætitiæ, non ex alia materia. Pœnitentia vero respicit peccata, ut materiam pure destruendam, non ut ex ipsis aliquid maneat vel præparetur ad aliquem effectum faciendum.

XXVII. Ex quibus manent soluta reliqua quæ in primo argumento tangebantur. Negamus quod pœnitentia solum sit de secundaria intentione Dei, nisi quando est volita ex motivo remedii, et satisfactionis in exercitio: sic enim supponit damnum jam factum. Secus si sit volita ex motivo ostendendi virtutem, et excellentiam gratiæ, et ipsius pœnitentiæ in immutando corde humano, et convertendo ad Deum ex profundo peccati. Ad id quod de humilitate dicitur, concedimus non cognosci a nobis in hac vita fragilitatem propriam, nisi cum de facto frangimur ipso lapsu, et casu peccati: neque carentiam auxilii, seu permissionem poni, nisi peccato secuto. Negamus tamen ad hoc necesse esse, ut sit volitus prosecutive ipse lapsus, et peccatum, sed sufficit quod sit permissus, quia solum intenditur propriæ miseriæ notificatio, ad quod sufficit quod Deus eam sibi ipsi relinquat, et non sustineat manu sua, et hoc est permittere: hac enim derelictione posita, nihil ex homine sequi potest quod non sit vile, et miserum. Et quia hoc sequitur ad permissionem, non ad positivam volitionem ipsius peccati, ideo sufficit ad dandam notitiam hujus miseriæ, permittere cul-

pam ipsam, qua permissione posita, sequitur consequenter miseria, et culpa, ejusque experientia, unde sumitur humilitas, nec oportet ipsum peccatum velle, sed ejus existentiam ex permissione sequi.

XXVIII. Ad confirmationem dicitur quod permissio illa, seu subtractio gratiæ non est beneficium divinum, si consideretur quoad intrinsecam, et ex propriis, concedo; si consideretur quoad extrinsecam, et ex parte ordinationis divinæ, secundum quod ordinatur ad aliud bonum, vel ad impedimentum mali, nego. Sic ergo in quantum est beneficium extrinsece, etiam potest esse prædestinationis effectus, ad quam pertinet non solum supernaturalia dona, et beneficia largiri, sed etiam ea quæ naturalia sunt, imo ea quæ sine peccato non sunt, ordinare ad bonum electorum. Et cum instatur, quod majus beneficium esset ipsa gratia, quam denegatio gratiæ, dico, quod si hæc duo præcise, et secundum se considerentur, majus beneficium est gratia, quam denegatio gratiæ; si vero considerentur secundum aliquas extrinsecas circumstantias, aut ordinationem divinam, majus beneficium est aliqua carentia gratiæ ad tempus, quam gratia ipsa, quia fortasse si illo tempore esset in gratia fieret homo remissior aut superbius, et incautior, unde postea caderet irreparabiliter, cadens vero et postea surgens, humilior, et cautior reviviscit, sicut qui vult ignem ardentius accendi, aliquot guttis aspergit carbones, et ad tempus extinguit aliquid, ut fortius accendatur.

Secundo arguitur: Permissio etiam in ratione permissionis non potest esse volita a Deo: ergo neque potest esse effectus prædestinationis. Consequentia est nota, quia effectus prædestinationis specialiter procuratur, et eligitur a Deo: ergo